



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Sylva Cogitationum Sacrarum Pro Cathedra Seu Conceptus Prædicabiles**

Ex Præstantissimis Authoribus collecti ; Et In tres Classes divisi

Complectens Dominicas Per Annum

**Höger, Franz**

**Ingolstadij, 1726**


**VD18 90197089**

Dominica II. post Pentecost.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53055)

Celum, quàm hunc Mundum, Di-  
cton. apostolic.

THESIS XXVI. *Ecce ego vobiscum* *Præsentia*  
*sum.* Matth. 28. v. 20. I. Præsentia *Dei.*  
Dei inhiher peccata, II. Consolatur  
afflictos, quia Pater, quia Testis, quia  
Socius in tribulatione. III. Inflammat  
Perfectos; *Oculi mei semper ad Dominum.*  
*Chappuis. Medit. 17. Nov.*



## DOMINICA II.

### post PENTECOST.

THESIS I. *Cœperunt simul omnes* *Excusatio*  
*excusare.* Luc. 14. v. 18. I. A- *peccati.*  
liqui afferunt excusationes ad dimi-  
nuenda peccata sua; & hi offendunt  
*Sanctitatem Dei* offensi. II. Alij alle-  
gant excusationes pro liberatione sua  
ab obligatione; & hi ejus *authorita-*  
*tem lædunt.* III. Alij excusationes  
proferunt, quibus sibi licere volunt  
persistere in occasione peccandi proxi-  
ma, & hi *Sapientiam* offendunt læsi Nu-  
minis. *Diction. Apost.*

K

THE.

THESIS. II. *Cœperunt* *sum*  
*omnes excusare.* Luc. 14. v. 18. I.  
 Alij excusant sua peccata per *Traditio-*  
*nes* humanas, jam pridem à Christo  
 damnatas, & nullius authoritatis. II.  
 Alij excusant peccata sua per *Mala Ex-*  
*empla* Grandium, non considerantes  
 se in eadem cum iis damnatione apud  
 Deum esse, vitiisque inde nullam acco-  
 dere auctoritatem. III. Alij excusant  
 peccata sua per *Fragilitatem* etiam San-  
 ctorum, qui in ejusmodi quoque pec-  
 cata prolapsi sunt, posthabentes eorum  
 inde susceptam Pœnitentiam. *ibid.*

THESIS III. *Cœperunt* *sum*  
*omnes excusare.* Luc. 14. v. 18. I.  
 Excusationes ipsos arguunt *Injustitia,*  
 cum peccata sua levia reputant, que  
 tamen in Proximo grandia statuunt, &  
 enormia. II. Excusationes eorum  
 produnt *Superbiam,* quando peccata sua  
 tribuunt malo aliorum exemplo, & im-  
 portunitati provocantium, seu compli-  
 cum. III. Excusationes eorum de-  
 monstrant *Ingratitudinem,* quando pec-  
 cata sua conjiciunt in correctionem il-  
 lorum, qui ea amoliri, lapsusque im-  
 pedire voluerunt. *ibid.*

THE

THESIS IV. *Habe me excusatum.* *Excusatio d frequenti Communione.*  
Luc. 14. v. 18. Fuites causæ à frequenti Communione se excusantium sunt: I. Non extare Præceptum. II. Se esse indignos. III. Fieri ex hoc consuetudinem. IV. Requirit aliam vitam. *Crasset.*

THESIS V. *Judicium sibi manducat & bibit.* *Comm. nio indigna.*  
I. Cor. 11. Eucharistia indigna Sumptio immutat I. in mortale venenum Alimentum vitæ. II. In tribunal Justitiæ thronum Gratia. III. In Viaticum Damnationis æternæ Viaticum Felicitatis æternæ. *Vivien. verbo Euchar.*

THESIS VI. *Fecit Cœnam magnam.* *Eucharistia.*  
Luc. 14. v. 16. Contra Veritatem Sacramenti argumenta I. Judæi. II. Gentilis. III. Hæretici. IV. Philosophi. V. Politici. VI. Devoti. VII. Diaboli examinata, eadèmq; confutata. *Vieira Serm. p. 1. fol. 47. n. 7.*

THESIS VII. *Fecit Cœnam magnam.* *Hæretici.*  
Luc. 14. v. 16. Duplex genus Hæreticorum invenitur in Ordine ad Sanctissimam Eucharistiam; scilicet  
K 2 Hæ-

Hæretici quoad Intellectum, Hæretici quoad Voluntatem. I. Hæretici quoad Intellectum sunt illi, qui non credunt Veritatem hujus Sacramenti, qui tamen facile convinci possunt gemina hac Propositione: Nullum Salutis periculum initur credendo hoc Mysterium; Certum periculum Salutis incurritur non credendo. II. Hæretici secundum Cor, Mali sunt Catholici, qui pravis suis actionibus derogant Fidei de Præsentia Christi in hoc Mysterio, aliosque scandalo suo inducunt ad non credendum. De illis dici potest id Hilarij l. 8. de Trinit. *De Veritate Carnis, & Sanguinis non est relictus amittendi locus.* De his illud S. Pauli Tit. 1. *Confitentur se nôsse Deum, factis autem negant.* Item S. Augustini, *Si erravi, per te erravi.* Bretteville hic.

*Effectus  
Euchar.*

THESIS VIII. *Qui manducat hunc Panem, in me manet, & ego in illo.* Joan. 6. v. 59. Tria dæmon per esum Panem veriti promisit falsò, quæ veraciter in Sumptione Sanctissimæ Eucharistia præstantur. Sic enim, si comedimus hunc Panem, I. *Aperientur oculi vestri, scilicet oculi mentis.* II. *Non morietur*

mini; morte æternâ seu damnatâ. III. *Eritu sicut Dij*; per unionem non quidem omnino physicam, ut aliqui voluerunt, quorum sententia damnata est, verum per unionem plus quàm moralem, & affectivam.

THESIS IX. *Nemo virorum illorum, Nomen qui vocati sunt, gustabit Cœnam meam. Euchar.* Luc. 14. v. 25. Hoc Sacramentum tribus præcipuè nominibus insignitur. I. Vocatur enim *Hostia*, intuitu Præteriti temporis, in quo Christus vera Hostia, Deo oblatu est pro Peccatis nostris. II. Vocatur item *Communio*, spectando Præsens tempus, in quo per Sumptionem Corporis & Sanguinis Christi ipsi unimur. III. Vocatur denique *Viancum*, respectu Futuri temporis, quo iter æternitatis ingressuri eodem munimur. *Bessæus in Postilla Cont. 6. in Solennit. Corp. Chri.*

THESIS X. *Fecit Cœnam magnam. Vocatio ad Cœnam.* Luc. 14. v. 16. I. Ad hoc grande & magnificum Convivium omnes homines invitati sunt *sine Merito*. II. Aliqui venire recusarunt *sine Ratione*. III. Hinc etiam exclusi fuerunt *sine Invitatione*.



*justitia.* Scilicet omnes invitati fuerunt per Vocationem gratuitam; Impij recusarunt eò ire per Malitiam voluntariam; Exclusi subinde justo Judicio. *Textier. hic.*

*Axiomata.*

THESIS XI. *Fecit Cœnam magnam.* Luc. 14. v. 16. Tria axiomata observanda sunt circa hoc Mysterium. I. Aliud est Sacramentum, aliud Vis Sacramenti, seu Virtus. S. Aug. tract. 26. in Joan. II. Cessante hoc Sacrificio finis advenit Mundi, juxta Daniëlem, & robur datum est contra jure Sacrificium. c. 8. v. 12. III. Non sapit, cui Panis hic desipit. *Vide Lyrcum de Imit. JESU Patientis. 2. c. 4. fol. 61. col. 1.*

*Effectus.*

THESIS XII. *Fecit Cœnam magnam.* Luc. 14. v. 16. I. Nulla Gratia est, quæ magis solatur *Aegros.* II. Nulla Gratia, quæ magis roborat *Moribundos.* III. Nulla Gratia, quæ magis prodest *Mortuis,* quàm quæ provenit ex hoc Sacramento. *Diction. Apostolic.*

*Conviviũ.*

THESIS XIII. *Cœnam magnam.* Luc. 14. v. 16. Deus facit magnum Convivium in Terra, in Ecclesia, & in Cœ-

Cælo. I. In Terra omnibus hominibus : II. In Ecclesia omnibus Fidelibus: III. In Cælo omnibus Beatis. Zachar. La Selve hic.

THESIS XIV. *Nemo virorum Vocatis.*  
illorum, qui vocati sunt, gustabit Cœnam meam. Luc, 14. v. 24. I. Deus prius *Dulciter vocat*: Fecit Cœnam magnam, & vocavit multos. II. Postmodum *Terribiliter increpat*: Tunc iratus Paterfamilias. III. Et ad extremum *Irretractabiliter damnat*: Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit Cœnam meam. S. Gregor.



# DOMINICA III. post PENTECOST.

THESIS I. *Erant appropinquantes Peccator.*  
*Peccatores.* Luc, 15. v. 1. I. Alii Peccatorum sunt *Recedentes à JESU*, de quibus Jeremias c. 17. v. 13. *Qui te derelinquunt, confundentur, Recedentes à te in terra sribentur.* Ita recedunt *Athei, Politici, Desperabundi &c.* II. Alij

K 4